DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XXIX. FEBRUARII MDCCXX.

M. PETRO AZEVEDO, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An conſueta inſuetis tutiora?

HOMO animâ & corpore conſtans animal, cunctis animantibus longè præſtantius; an in vitâ felicius? dubium. Eâ animæ facultate, quâ cæteris antecellit, fit ſæpe miſerior. Errat enim ratio non raro, turbidos ciet motus, ſæpe vitioſitatem importat, κακίαν, inimicam vitæ tranquillæ. Ut enim in lucem editus eſt, quas nunquam expertus fuerat, rebus indiget ad vivendum. Aëre, quem continuò haurit, nunquam vivens carere poteſt: cibo & potu alendo corpori neceſſariis, aliquandiu. Multa huic excernenda, quæ retenta nocent; multa retinenda, nocitura, ſi præter naturam excernantur. Motûs, quietis, ſomni & vigiliæ viciſſitudinibus vita ſubjecta. Hæc corporis ſunt; animæ verò variæ perturbationes; quibus corpus auſcultari, ſervitutis authoramentum, motibus corporis mentem ſubjici, ditionis ſervitus eſt. Illarum rerum uſus indifferens eſt, modò inſalubris, modò ſalubris: tutior tamen, quem longa conſuetudo confirmavit.

QUI bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe legibus obligare debet. Proſperè enim vivit, qui ſolutus vivit. Quocunque cibo uti, ad omnem exercitationem expeditum eſſe, hominis certè eſt undequaque fœlicis. Huic vario & ſalutari vivendi generi ſenſim corpus aſſueſcit, eò magis ſanum, quò minùs ſcrupuloſæ vitæ addictum. Temperantia tamen in omnibus eſt ſervanda, cujus tranſgreſſione etiam utiliſſima, noxia redduntur. Sed non omnibus eadem mens, eadem ſortis clementia. Sunt qui cauſariam à naturâ vitam ſortiti, ſeverâ medicinæ decreta animo reluctante ſervare tenentur. Non his licet variis eduliis veſci; non alio aëre vivere, non à conſuetâ ſomni horâ, neque ab uno exercitii modulo tranſverſum unguem diſcedere. Hos quidem viventes mortuos, non mortales viventes diceres. Alii lymphatico metu melancholici, unam ſibi vivendi normam præſcripſerunt. Alios traxit ad anxii laboris curas, ad durum & conſtitutum victûs genus, ſobria paupertas; in quibus omnibus adſcititius habitus fit, qui conſuetudo vocatur; cujus vim atque indicationes, hi ſoli nôrunt, qui nolunt in multis, quæ ad Medicinam ſpectant, claudicare.

CONSUETUDO quidem vim naturæ obtinet, imò altera natura eſt. Illa facultatum omnium innatum principium, quod obſcurè noſcitur, non aptè definitur. Acquiſita verò natura in repetito rerum, quæ nos afficiunt, uſu verſatur. Sic illæ res, quas non naturales vulgò vocant, naturales & quaſi ingenitæ uſu fiunt. Alimentorum qualitates labore chymico ſcrutari, hominis certè eſt abutentis & otio & tempore. Sola experientia, cùm omnium rerum medicarum, tum virium alimentorum docta magiſtra. Neque ad rem pertinet, quibus partibus unumquodque conſtet, ſed quod optimè digeratur; ſive hâc de cauſâ concoctio intercedat, ſive de illâ; & ſive concoctio ſit, aut digeſtio, aut pura trituratio. Non tamen hujuſmodi quæſtiones è Medicinâ expungendæ, quæ etſi Medicos non faciunt, iiſdem ſæpe excultum ingenium ad majora veniet paratius. Cave tamen credas, omne Medici ſtudium in his eſſe ponendum. Ut enim non naturalium rerum uſum bene utiliterque præſcribas, ſeriò tibi conſiderandæ ægrorum ætates, ἰδιοσυγκρασίας σωμάτων, uniuſcujuſque conſuetudines.

UT quod in naturâ, ſic & quod in conſuetudine ſecundâ naturâ fundatur, ſaluberrimum eſt. Salubre dices, quicquid corporis functiones in optimo conſervat ſtatu. Functiones perſtant integræ facili expeditâque ſolidarum & fluidarum partium motione. Fibrarum corporis in hunc vel illum motum pluries repetitum, prona facultas. Dociles fiunt & obſequentes; ſimili exercitæ modo. Sicut canentis ſimulque chordas pulſantis peritæ citharædi manus non cogitatò moventur; ita muſculi, ac fibræ functionibus inſervientes abſque ullo labore conſuetos exercent motus. Hinc ſenes ac imbelles faciliùs labores perferunt, quàm juvenes ac robuſti, laboribus non aſſueti. Stomachi fibræ uno eodemque cibo ſemper attactæ, eodem modo micabunt; chylus uniuſmodi erit, ſanguis ſemper ſui ſimilis, atque idem ſtillabit fermentum, ſi quod fuerit in glandulis. Sanus vivis Bœotum in Patriâ & ſub aëre craſſo? tenuiorem purioremque quid quæris? Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ utilitate adjuvat, novitate tamen perturbat.

OMNE inſolens ſanitati infenſum. Sunt, qui ſecundâ afflati fortunâ miſerè ægreſcunt, vitæ genere mutato. Qui ambulando victum quæritabant, jam in vehiculo aut in ſpectaculis toto die ſedentes, arthritide, rheumatiſmo, vel nephritide, inſolentis otii pœnas luunt. Si verò propter quaſdam neceſſitates conſuetudinis ordo mutandus ſit, non ſubitò demutandus. Ergo cùm quis mutare aliquid volet, paulatim debet aſſueſcere. Id quidem non ſolùm in ſanis obſervandum eſt, ſed etiam in ægrotantibus; in quibus affatim atque repentè à Medico mutationes fieri, nimis periculoſum. Eſt enim his tanto magis quædam moderatio neceſſaria, quanto magis noxia ipſis jam offenſis nimia immutatio eſt. Tanta enim eſt conſuetudinis vis atque facultas, ut conſuetus labor, quamvis durior, reficiat, quem novum genus cujuſdam laboris premit. Sic fatigato quotidianum cubile tutiſſimum eſt; inſolitum contra laſſat, licèt mollius præter conſuetudinem fuerit. Alimentorum pravitatem non ſolùm vincit conſuetudo, ſed malignitatem venenorum & perniciem ſuperat. Sic quoſdam vidimus magnam opii quantitatem abſque noxâ devoraſſe. Puellam legimus Napello ſenſim aſſuefactam, eo tandem nutritam & bene habentem.



Ergo conſueta inſuetis tutiora.

Proponebat Pariſiis JACOBUS TRANT, Ardfertenſis Hibernus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1720.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.